

IN LIBRVM DE
 PROPORTIONIBVS HIERONYMI
 CARDANI MEDIOLANENSIS, CIVISQVE
 Bononiensis, Medici, Præfatio ad M. A. Amulium
 Venetum Card. Illustrissimum.



BENE Dicitum est meo iudicio à Platone M. A. Amuli optime, beatas fore Respub. si uel illarum domini sapientiæ amatores essent, aut qui sapientiæ essent amatores dominarentur, hoc ipsum clarè intelligens, studio sapientiæ nihil esse utilius humano generi: quo simul & pietas, & iustitia, & mutuus amor hominum inter se & eorum commoda continerentur. Nempe hisce quatuor tota nostra felicitas comprehenditur. Si quidem pietate in Deos nihil nisi sanctum, & purum, & illustre sapimus: hoc ipso primum quod supra nos est, intelligimus, Deos ueneramur, gratias agimus, timor cum ueneratione nostros animos subit, & de futura uita cogitamus, hæc ipsa mortalia si non negligentes saltem paruifacientes. Iustitiam autem adeò necessariam humano generi esse scimus, ut sine illa neq; esse, nedum benè esse possimus, ut neq; latronum coetus absq; ea diu stare possint. Porro quid dicam de concordia, & mutua hominum beneuolentia, in quibus omnis uitæ humanæ dulcedo reposita est: nec quis sustineat uiuere, qui se omnibus odiosum esse sentiat. His ipsis filios in spem alimus, parentes fouemus, fratres tuemur, & adiuuamus, amicis opitulamur, cum hominibus hilarem & iucundam uitam ducimus. Si quis serpentem in lecto haberet, nunquam somnum caperet: ita nihil molestius est in hac uita, quàm esse cum quo nolis, & priuari consuetudine eorum cum quibus maximè uiuere cupias. Quid enim habent Principes præcipuum cum tota illa potentia quam habent, nisi hoc unum, quod suis quos amant benè facere possint: nam reliqua omnia exerceri, uenari, edere, bibere, dormire, iter agere, loca amæna inuisere multis alijs concessum est, maioreq; commodo qui in uita priuata degunt. Si ergo principatum cum tot laboribus, curis, periculis, & meritò omnes appetunt: nec est in eo quicquam præcipuum præter hoc, cui dubium est quin hoc non sit summum huius uitæ hominibus bonum: propter cuius uel dubiam spem eorum, quæ habent obliti mortales periclitantur. Succedunt inde tot commoda, non solum utilia, sed pleraq;

* 2 etiam.